Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26021
Copyright: Admont, Benediktinerstift

73

Denique seniores offensi facinoris atrocitate, relinquentes urbem ad uespasianum precatum uenere, ne paucorum insolentia uniuerse plebi ascriberet. Vespasianus traianum illico ad urbem direxit, ut exploraret si populus insidiatorum temeritate abstineret. Et ille conuenientia studia seniorum precibus annuntians, fide legationi accumulauit. Ita petentibus uenia data, maxime quod sollicitum regem pro incolumitate urbis statu uespasianus intuebatur. Cuius fide interposita nichil tale ausuros postea, delicti gratiam uolens concessit. Inde taricheas sollicito atque instructo agmine petit, eo quod plurimum ad ipsam urbem propter loci munitionem confluxerat multitudinis. Et quia muro eam uallauerat iosephus, non quia pedestribus inuia, sed quia genesareth lacus fluctibus alluebatur, ideo nauigiis congregatis anceps bellum fremere credebant. Si terrenum inclinaret aduersum se prelium, ad naues confugerent. Si nauali certamine cederent, urbem reuiserent, murisque sese ambientibus defensarent. Consimilia utrobique presidia, uel in urbe tyberiade, uel taricheis. Sed taricheas preditiora ingenia, murus ualidior tiberiadis, sed tarichearum furor promptior, ut si necesse esset omnia miscerent: naualia terrenis certamina, terrena classicis. Denique circumuallati aduersa acie cum maiora auderent uiribus, nec aduersus romane dispositionis moderamina, ueteranique exercitus uirtutem, quam eorum temeritas promoueret, postquam aliquanto excitati subirent, uersi in fugam ad naues conuolauere. Quibus consertis tamquam densata acie preliabantur, ac si in terris res manu gereretur. In campo autem multitudo innumerabilis hostem prestolabatur.

Eo cognito filium cum electis equitibus uespasianus direxit. Qui ubi se ingentibus circumfusum copiis uidit, ad patrem quidem retulit, maiorem esse hostium multitudinem quam opinio comprehenderat. Sed conuocatis quos secum deduxerat, bellandi incentiuum huiusmodi alloquium infudit. Viri inquit romani, meminisse enim uestri uos nominis et generis prelatos decet, quorum manus nemo effugit qui in orbe romano est. Vos enim hoc nomen uniuersis terris non uincendo dedistis? Meminisse autem loci oportet ubi nunc sitis, et aduersus quos romani bellum geratis. In extrema enim parte orbis terrarum consistimus. Tanta ergo terrarum spacia transeuntes nichil alienum uidistis. Quid enim uobis alienum, quorum in possessione orbis terrarum est? Quod usque est, uestrum est. Quod uniuersorum incolatus tenet, possessio uestra est. Currebatis tamen, quos statuit uiros orbe toto currentes triumphos. Quos non hastrubal penus, non pirrus eacides, non brennus capitolinis uestibulis incubens, non gallorum cateruae, non egyptie phalanges statuere potuerunt, hos statuet rebellis iudea, inerudita, presens bellandi temeritate, rudis quidem pugne aptior. Neque tamen est